

motus & situs particulis, ad dispositionem, texturam & combinationem habito quoque respectu, quid de Quaternione Veterum, Humoristarum, ut Helmontius vocat, Galenorum scilicet humoribus, sentiendum, cuilibet patebit. Habemus & nos Quaternionem, particulas nimirum terrestres, aquosas, salinas & sulphureas in uno Mixto, Viscido, conspicuas, unam tantum causam, (variorum tamen & multorum Morborum fomitem) sed longè diversam à Veterum humoribus, præprimis si consideres in sano & quæ ac morboso corpore eosdem à Veteribus fuisse concessos, adeoq; propria quadam culpa Veteres sibi multiplicasse Ærumnas. Sed habeant & hi suas sibi querelas, nos omnem humorem Melancholicum, pituitosum & Cholericum è Corpore in statu naturali constituto eliminamus, & si aliquid adhuc considerationis mereatur, locum suum in statu sumat præternaturali, ibi fortè in Viscidi nostri amplexus ruens, mutua ejus opera, sanguinis mixtionem turbare, & ad deteriorem statum disponere poterit, ut exinde homo vel fiat Melancholicus, vel Phlegmaticus, vel cholericus, vel etiam Sanguineus. Sanguis enim quantitate & qualitate peccans, quod tamen quoad prius rarum quid, molestiam creat subjecto, quod quale sit, jam tractabimus.

## §. 10.

Cum magni itaque intersit, ut, de Viscido tanquam causa mortifica, (quo titulo illud meritò insignitur, quia sanitati offendiculo est,) tractantes, ad partem etiam affectam attendamus, eam scilicet, in qua minera hæc defixa tenerur; Uni verò causæ non unus tamen sit locus, in Corpore autem humano, quod *Contextus vasculosus, variis generis succos in se continens* Excellentissimo Waldschmidio *Instit. Medicar. lib. I. c. 5.* dicitur, existere eadem debeat, necesse est ut in partes hujus inquiramus, quæ secundum vulgarem & à Plurimis Anatomorum receptam sententiam, in solidas & fluidas, *Continentes & Concentras* dividuntur. Ad primam Divisionem Ventriculum cum Oesophago versus fauces in Longitudinem protenso & intestinis versus anum elongatis, in gyros seu anfractus diversimode contortis & mesenterio connexis, non exclusâ etiam Trachea è Cartilaginea partim & carneâ substantia, binis vestita membranis, in duos ramos circa ingressum in Pulmonum lobos divaricata, fistulæ instar fabrefactæ;

Bz

Cavi,